Nobilissimo viro D. Constantino
Hugenio Zulichemi de Zulchem Domino &c.
C. Barlaeus S.P.D.

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Qui litteras hasce Tibi exhibet, Nobiliss.e Vir,
Pisonibus cognominis est, nec tamen, ut meum
arbitraris, aut ex illorum gente, quibus Artem
poëticam inscripsit Horatius, aut illius, cui
Germanici mors imputata. Mihi iam ante annos
viginti et ultra amicitia singulari iunctus fuit,
ob indolem optimam, amari dignam. E Medicorum
filijs est et Illustriss.mi Comitis Mauritij apud
Americanos archiater. ita se artis suae peritia,
fide, obsequio Excell.ae suae probavit, ut favori
huius penitissime sit insertus. Abijt, unde
negant redire quenquam cl. Rompsius. Huic
in castris suffici vellet hic noster Piso. Excitus
litteris Comitis Mauritij, huius quoque commen-
datione traditur Celsissimo Principi. Tu,
qui virtutum cultor es serius et censor incorruptus,
firmus adversus amicorum voces vanas et
ab affectu profectas, Virum hunc tua suffra-
gatione et benignae vocis testimonio apud
Principem dignare, ob rei medicae scientiam,
experientiam, diligentiam, humanitatem et morum
non fictam modestiam. Ego in texenda historia
Americana, totus sum. Hoofdius Satrapa
cum podagra et chiragra luctatur nec aptus
caestu ludere, aut lucta aut cursu mecum
decertare. Tibi, mi Hugeni, validiores
pedum manuumque nervos exopto, quos nunquam
tibi plus nimio aut debilitavit Cypria aut
Semeles puer. Vale. Amstel. 28 Jun. 1645

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 171
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3998

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 171
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3998

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 171
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3998

Nobilissimo Dno Constantino
Hugenio Eq: Zulichemi &
Zelhemi Domino Celss. Principi
à consiliis & secretis

p amicissimum.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 171
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3998